



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

12. Dies Augusti. Sæpè magnorum fides, ex non magnis venit.
Quintilianus Declamat. 388.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](#)

Augustus. Tesserā.

627

igitur pace frui, & Dei familiaritate uti, observa illud
dogma.

Nec sis corde duplex; humili sed pectori simplex.

12. DIES AUGUSTI.

Sæpè magnorum fides, ex non magnis venit. *Quintilianus Declamat. 388.*

Fidelitas. I.

UT simplicitas verborum, sic fidelitas, est quædam veritas factorum, quam Seneca (a) *Sanctissimum humani pectoris bonum appellas*. Peribit humana societas, si obligatam fidem frangere liceat; si deceptus, alteri se non amplius audeat committere; si nomine tenus amicos, ut hostes in insidiis positos formidet: sic peribit amicitia, maximus humanæ vitæ fructus, potissimum in adversis perfugium. Etiam hostibus fidem servandam afferunt sapientes omnes. Sic Fabricius pugnaturus contra Pyrrhum Regem, à Medico Regis epistolam accepit, qua promittebat se Regem veneno necaturum, si juberet. Sed eam epistolam misit Fabritius ad Regem crudelissimum, & admonuit; sibi caveret ab insidiis potius amicorum, quam hostium. Quis non stupeat Fabritii erga juratissimum hostem, tantam fidem, quem amicè monuit, ut tutè declinaret periculum, cui poterat procurare exitium? Qui fidem præsertim publicam fallit, obscurat totius gentis suæ gloriam; spe levissimi præsentis commodi, innumeris se damnis imposterum exponit: nam illi fides non habebitur; datam læsi non servabunt, velut id illis liceat justâ talionis poenâ. Delusi furore

Rr 2

quo-

(a) *Epist. 1.c.88.*

628 *Christiani Militis* Augustus
quodam acti , ultrà solitas belli leges , igne , ferro , vastatione sœviunt , & animantur quasi faveant
Numine , jusque suum modis omnibus vindicatu-

ro .
II. Sed quām non sit vana hodiernæ diei Telle-
ra ; sœpè ex non magnis , venire fidem magnorum ;
patebit unius servi erga Dominum fide . (a) Inter
proscriptos Menenius erat , & cùm ejus domum ar-
mati militibus circumseptam , ejus servus videret ,
spreto omni præmio quod propositum erat , spretis
periculis , & quo nihil habebat clarior ipsâ vita : ut
Domini vitam servaret , lecticam , ubi Menenius ma-
nere consueverat , ingressus , ferri se ab aliis servis ful-
sit ; Menenium enim esse milites arbitrati , ipsum illic
interfecerunt , sic moriens , cùm milites secesserent ,
Dominum servavit , qui servilem vestem induens
aliâ viâ cum multis , quos eadem fortuna urgebat , in
Siciliam ad Pompeium profugit . Quintilianus sc̄re
appellat (b) *Fidem* , supremum rerum humanariorum
vinculum . Et alibi : (c) *Ego publicam appello fidem* ,
qua inter piratas , sacra est , qua inter armatos hostes , re-
ducias facit , qua deditarum civitatum iura conservat .
Immortalem se reddidit hâc fidei constantiâ Fran-
ciscus primus Galliæ Rex : is enim , Carolus Quin-
tum Cæsarem in turbidos Gandenses , properan-
tem , coiniter deduxit , solâ fide Regis , & suâ fortunâ
nixum , mirantibus Galliæ Proceribus , Regis sui co-
mitatem , quod tam opportunam occasionem tecu-
perandi Mediolanensis Ducatus præterlabi passus
esset ; hominemque , à quo suinta rei dependebat ,
ita

(a) *Bap. Fulgos. l.6.* (b) *Declamat. 343.* (c) *De-
clamat. 267.*

Augustus.

Tessera.

629

ita demisisset; in celebri confessu, cùm multa in sui defensionem adduxisset, adiecit: *Etiamsi fides tota orbe exularet, tamen Regibus tenenda erit, qui ea sola, & nullo metu, vique astrungi possunt.* Vox Rege digna; & sic se habet. Alios lex, aut poena coercent; Principes, pudor, & fides.

III. Semper mala fides poenas statim, aut posteā in violatoribus, in sanguine eorum luit. Equis igitur, remisque Perfidiam fuge; alias te fama fugiet: & quisquis vel hanc amat, fidem amet. Cujus multa vel testimonia sunt, vel exempla. (a) Inter hæc eminet Alphonsi Petri Gusmani, qui, cùm Tariffæ urbi, Sanctii Quarti Castalonensis Regis nomine præfatus esset; atque in ea arctâ Maurorum, Joannisque Sanctii, Domini sui fratris, hostisque obsidione premeretur; nunquam aut pretio, aut precibus ad deditionem faciendam flecti potuit. Cùm autem Joannes, ejus filium, quo in obsequio utebatur, ad muros deduxisset, fretus filii periculo, Patrem motum iri; non modò id Pater neglexit, verùm etiam à muris gladium porrexit, dixitque; Nolle, ut ei modus ad occidendum filium deesset; quo autem vultu de murisensem dejecit, eodem occidi filium, nihil ab eo mutatus inspexit. Quis virum illum in estimabilem non æstimet; qui pluris æstimabat fidelitatem in Dominum, quam charitatem in filium? Prudenter Q. Marcius apud Livium: *Favere pietati, fideique Deos, per quæ populus Romanus ad tantum fastigii venerit.* Hinc callidi isti, & impostores, quantumvis subtilibus consiliis; raro, aut nunquam ad potentiam perveniunt; aut si in ea, non sunt firmi. Denique fides

Rr 3

in

(a) Eborense p. 142.

630 *Christiani Militis* Augustus.
in hominibus, estrara avis in terris. Proverbiū est
fronti nulla fides. Hinc fide, sed cui, vide, Frons ali-
quando pollicetur, quod mens negat : & quod in
illius tribunalī statuitur, in istius, ut ita dicam, sollo
occultur. Ut sis igitur catus, esto cautus, juxta moni-
tum illius :

Ni sit nota fides: ignoto non bene fides.

13. **DIES AUGUSTI.**

Nulli parvus est census, cui magnus est animus.
Leo in. appa. Dom.

Libera- I.
litas.

Liberalitas, (teste Aristotele)
(a) est mediocritas circa pecu-
nias. Vocat mediocritatem,
quod instar Virtutum aliarum
in medio sit, & velut Isthmus per angusta; hinc inde
maria duo, geminosque habeat scopulos, à quibus
revocat animum Virtus : ne labatur vel in Avaritie
fordes, vel in nimiam profusionem, quae est Prodigia-
litas. Versatur autem hæc moderatio circa pecunias,
quod in earum usu, beneficentiae laus omnis occupe-
tur. Tres porro, Liberalitatis sunt actiones: *Accipere, Conservare, Largiri.* Ordior à primâ. Liberalis ac-
cepit opes, ut dicit Aristoteles, unde oportet, de suis,
videlicet, rebus largiri, quia id necessarium, ne Be-
neficienitiae fons exhauriatur, & desit, unde de aliis
benè mereri possit. Hinc benè Seneca de sapiente:

(b) *Non amat divitias, sed mavult: non in animum*
illas, sed in domum recipit: nec respuit possessas, sed con-
tinet, & majorem virtuti sua materiam subministrat
vult. Multi fuere ut sanctmoniā, sic & rerum om-
niū

(a) *L.4. Ethic.c.1.* (b) *De Best. vit. c.21.*